

et per fidem, non per speciem ambulantes, expectatione magis quam experientia gratulamur. Considera denique floris teneritudinem, et memento verbi, quod ait Apostolus, quia *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (II Cor. iv, 7). Quanta enim videntur imminere pericula floribus! Quam facile spinarum aculeis liliū perforatur! Merito proinde canit dilectus: *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias* (Cant. ii, 2). An non erat liliū inter spinas, qui dicebat: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* (Psal. cxix, 7.) Cæterum etsi justus germinat sicut liliū, sed non ad liliū sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commorantem. *Ubi, inquit, duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. xviii, 2). Amat semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei et hominum mediator. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* Curemus habere lilia, ☩☩☩ fratres, extirpare spinas et tribulos, et inserere lilia festinemus: si quando forte et ad nos pascendus dignetur dilectus descendere.

18. Apud Mariam utique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virgi-

nitatis decus, humilitatis insigne, supereminetia, charitatis? Erunt tamen et nobis lilia, quamvis inferiora valde: sed ne inter hæc quidem dedignabitur pasci sponsus; siquidem eas, quas prædiximus, actiones gratiarum devotionis hilaritas illustraverit, orationem intentionis puritas candidaverit, confessionem indulgentia dealbaverit, sicut scriptum est: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* (Isai. i, 18). Cæterum quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia repleat quod influxit, Neque enim impotens erat Deus, et sine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti. Ideoque [alias, itaque] modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt: ne causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariæ manus invenerit. Amen.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS.

SERMO I.

De angelorum erga nos officiis, et nostra erga ipsos reverentia [alias, de triplici causa, qua pro nobis solliciti sunt angeli].

1. Angelorum hodie memoria celebratur, et exigitis debitum pro tanta solemnitate sermonem. Sed quid de angelicis spiritibus viles loquantur vermiculi? Credimus sane, et indubitata fide tenemus, divina eos præsentia et visione beatos sine fine lætari in bonis Domini, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Quid ergo de his homo loquatur hominibus, quæ nec ipse quidem cogitare, nec illi saltem audire sufficiant? Profecto si ex abundantia cordis os loquitur, sileat nihilominus lingua necesse est ex inopia cogitationis. Attamen si multum est ad nos loqui de ea claritate et gloria, qua in semetipsis, imo in Deo suo angeli sancti nostris omnino supereminet cordibus; de ea loquamur, quam nobis exhibent, gratia et charitate. In supernis enim spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed et dignatio amabilis invenitur. Dignum est proinde, fratres, ut gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, qua nimirum constat nihilominus abundare domesticos Dei, cæli cives, principes paradisi. Testatur denique Apostolus ipse, qui raptus usque ad tertium cælum, beatæ illi curiæ meruit interesse, atque ejus nosse secreta, quoniam *omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* (Hebr. i, 14).

2. Neque id cuiquam incredibile videatur; quandoquidem ipse quoque Creator et rex angelorum venit, non ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis (Matth. xx, 28). Ut quid ergo ministerium illud angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate et felicitate ministrant? Si et hinc dubitas, utique qui vidit, testimonium perhibuit: *Millia, inquit, millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (Dan. vii, 16). Alius quoque propheta ad Patrem de Filio loquens ait: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (Psal. viii, 6). Sic plane, sic decet ut vincat et humilitate, qui sublimitate vincebat; sitque tanto minor angelis, quanto inferiori sese ministerio mancipavit: qui tanto excellentior est quanto differentius præ eis nomen hæreditavit. Sed quæras fortasse, in quo ministratus videatur ab angelis cum ☩☩☩ ministrare venit; quandoquidem, ut supra meminimus, in ministerium mittuntur et illi. In eo utique quod non modo ministravit, sed et ministratus est, eratque unus et idem qui ministrabat, et qui ministrabatur. Merito proinde sponsa in Canticis canticorum: *Ecce, inquit, venit is saliens in montibus, transiliens colles* (Cant. ii, 8). Ministrans enim salit inter angelos: sed et ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera, non sua, sed nostra, ac nobis ejus gratiam referentes. Unde et Scriptura dicens: *Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu angeli, sollicite præmisit data ei*

fuisse incensa multa (Apoc. viii, 4, 3). Nostros enim sudores, non suos; nostras, non suas lacrymas offerunt Deo: nobis quoque ejus munera referunt, et non sua.

3. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed et humilior universis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui Patri offerens animam suam, nobis ministrat usque hodie carnem suam. Hujus utique tanti ministri gratia nihil mirum, si dignanter nobis, imo et libenter angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certe vulgari quodam proverbio: Qui me amat, amat et canem meam. Nos vero, o beati angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis; catelli, inquam, cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim, fratres, ut ampliorem de cætero erga beatos angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia; sed et dignius in eorum præsentia conversari, et magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis. Cujus rei gratia necessarium duco alias quoque charitati vestræ exponere causas, quæ et ipsæ beatos angelos pro nostra infirmitate reddant sollicitos; absque sua sane anxietate, sed non absque utilitate nostra; nec ad detrimentum felicitatis suæ, sed ad nostræ, salutis augmentum.

4. Constat sine dubio, rationis participes et capaces beatitudinis humanas animas angelicæ, si dicere id audeamus, cognatas esse naturæ: nec decet vos, o beati spiritus, contra legis præceptum dedignari, quam visitare debetis, speciem vestram, licet in multam, ut ipsi cernitis, dejecta sit vilitatem. Sed neque arbitramur vos, superni cives, civitatis vestræ excidio delectari, et ruina murorum, quos semirutos esse ipsi videtis. Cujus instaurationem si desideratis, ut dignum est; frequenter, quæso, ante thronum gloriæ verbum precis iterate, dicentes: *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem* (Psal. L, 20). Si diligitis decorem domus Dei, imo quia vere diligitis; experiantur zelum vestrum vivi et rationales lapides, qui soli in instaurationem ejus vobis possunt coædificari. Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas angelorum, propter Deum, propter nos, propter se ipsos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter se ipsos, quorum ordines instaurationis ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum qui lacte modo vescuntur, et nondum solido cibo, perficienda est laus illa majestatis divinæ, cujus habentes primitias angelici spiritus, beata nimirum delectatione fruuntur: sed tanto avidius nos expectant, quanto consummationis ejus expectatione et expetitione sollicitantur.


5. Quæ cum ita sint, pensate, quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, ut dignus nos exhibeamus eorum frequentia, et eo modo conversemur in conspectu angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis et negligentis nostris, indignos nos judicaverint præsentia et visitatione sua, ut jam necesse habeamus et nos plangere, et dicere cum Propheta: *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt; et qui iuxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam* (Psal. xxxvii. 12, 13); elongatis nimirum eis, quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quod si tam necessarium habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placent, et quæ in nobis invenire delectat: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, et orationem eum lacrymis, et cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem et pacem a nobis exigunt angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his, quæ formam quamdam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra? Dico autem, ut quomodo civitatis illius participatio est in idipsum (Psal. cxxi, 3), sic et nos idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata; sed magis omnes simul unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

6. Et contra vero nihil æque offendit, et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala, si forte inveniantur in nobis. Audiamus siquidem, quid loquatur ad Corinthios Paulus. *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* (I Cor. iii, 3.) In Epistola quoque Judæ apostoli legimus sic: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes* (Judæ 19). Videre est animam hominis quemadmodum universa corporis membra vivifice, cohærentia sibi. Separa ergo quodvis a junctura cæterorum, et vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit anathema Jesu (I Cor. xii, 3): quod nemo dicit loquens in Spiritu Dei, quia anathema separatio est. Sic est, inquam, omnis qui ab unitate dividitur, nec dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ. Dignæ igitur contentiosos, et qui separant semetipsos, apostoli carnales vocant et animales, Spiritum non habentes. Dicunt ergo sancti illi et beati spiritus, ubi scandala invenerint et dissensiones: Quid nobis et generationi huic Spiritum non habenti? Nam si adesset Spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, et unitas non scinderetur. Et dicunt: Non permanemus cum hominibus istis in æternum, quia caro sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis et pacis sumus, et homines istos in eandem unitatem et pacem sperabamus esse venturos. Nunc

autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident a se ipsis? Videtis quam congruat huic solemnitati evangelica lectio, quæ sic deterret nos a scandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer angelis displicent scandala. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis (Matth. xviii, 6)*: durum est quod sequitur. Sed jam præterit hora, ad missa nobis eundem est. Peto ne sit vobis molesta dilatio, quæ poterit non inutilis fore, si capitulum præsens sermonè altero diligentius prosequamur.

SERMO II.


In illud. « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, » etc. (Matth. xviii, 6-9).

1. Audistis, fratres, evangelicam lectionem adversus eos, qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur Veritas, neminem palpat, nullam seducit, aperte denuntians quoniam *væ homini illi, per quem scandalum venit. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille (Matth. xxvi, 24)*. Natus sane deo, natus ad vitam, natus de Spiritu, qui nimirum carne postmodum consummatur. Expediit ei, si quis est, qui scandala suscitât in hac domo, in hac sancta, Deo placita, et angelis ejus admodum grata  ac familiari congregatione, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, et pro suavi jugo et levi onere Salvatoris, gravi mole terrenæ cupiditatis humeris ejus imposita, demergatur in profundum maris hujus magni et spatiosi manibus, quod est sine dubio sæculum nequam. Minus enim damnabile erat ei in sæculo magis perire, quam in monasterio. Perire siquidem necesse est hominem, qui charitatem non habet etiamsi tradiderit corpus suum ita ut ardeat. Et hoc dixerim, fratres, non quasi minus bene de vobis sentiam, aut regnare videatur in vobis nequissimum istud vitium; sed ut in ea charitate et unanimitate, et pace in qua statis in Domino, solliciti satis perseverare, et abundare magis. Quæ est enim spes nostra, et gaudium nostrum, et corona gloriæ? Nonne unitas et unanimitas vestra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amores, et ante omnia mutuum in vobismetipsis charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis? Propter quod obsecro vos, sic stete in Domino, charissimi. In hoc enim cognoscunt omnes, etiam angeli sancti, quod Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.

2. Denique si tenetis memoria, quam vobis præcedenti sermone tradidimus triplicem angelicæ erga nos charitatis et sollicitudinis causam, potest hinc quoque fraternæ dilectionis utilitas magnificè commendari. Facite siquidem considerare est homini, qui non diligit proximum, nullam ex his, quas tunc diximus, suppetere causam. Nunquid enim Christi gratia diligemur ab angelis, si de mutuae dilectionis inopia cognoverint, nequaquam ejus nos esse discipulos? Nunquid diligemur ab eis propter nos ipsos, id est spiritualis natura similitudinem [*alias, similitudine*], si invenimur non diligere humanæ naturæ nostræ consortes: imo vero si ex eis quæ

inter nos sunt contentionibus, carnales nos magis, quam spirituales esse constiterit? Denique nunquid diligant nos propter se ipsos, et futuram de nobis civitatis euse restorationem, si, quid absit! unum illud, quo solo uniri et coedificari eis possumus, defuerit glutinum charitatis? Quomodo sperabunt reedificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si viderint nos, non lapides esse vivos, qui possint invicem cohæerere; sed magis pulverem, quem projiciat ventus a facie terræ, quem unius verbi flatus in turbinem excitet, et suspicionis cujuslibet levissima aura dispergat? Et hæc quidem dixisse sufficiat pro eo quod ait Dominus: *Siquis scandalizaverit unum de pusillis istis*. Credo enim quod majori sollicitudine deinceps ad hac tam nequissima peste cavebitis.

3. Jam vero quem non moveat quod sequitur in Evangelio: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum?* Nunquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut unam ex manibus istis, similiter et unum abscindere pedem? Absit a nobis hujusmodi carnalis omnino, et nimis ridiculosa cogitatio! Imo vero postquam ab exterioribus scandalis deterruit nos sermo divinus aspere satis, sicut audistis, consilium dat quid de eo nobis agendum sit scandalo, quod interius patimur, contrariam invenientes legem in membris nostris. Ipse enim novit figmentum nostrum, quod ejusmodi scandalum non tam facile a nobis valeat evitari. Porro tripliciter fieri scandalum istud, quotidiano nobis nosse licet experimento. Interdum enim est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex, et qui gratiæ magis quam noster dicendus sit: sed scandalizat nos oculus noster, et qui vere a nobis est, dum voluntas nostra aliam minus castam importune ingerit intentionem. Sed habemus jam super hoc salubre consilium Salvatoris: *Erue eum, inquit, et projice abs te*. Hoc autem fiet, si non consentias, si abjicias si resistas. Simili modo de manu ac pede est intelligendum. Cum enim bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est quæ scandalizat nos; sed abscindi debet et projici a nobis, ut non ei consentiamus.

 4. Sic etiam proficere in sancta conversatione, et ascendere per gradus scalæ quæ Jacob apparuit, ac juxta quod ait Psalmista, de virtute in virtutem ire (*Psal. lxxxiii, 8*) desiderantes, sæpius scandalum patimur a pede quodam pusillanimitatis et negligentis nostræ, qui nimirum descendere magis ac remissius ire conatur; sed abscindi eum necesse est, ut pes gratiæ, qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento. Quod autem dicit: *Bonum nobis esse ad vitam intrare cum uno oculo, aut manu, aut pede, quam duos habentes ire in gehennam ignis*: eos notat qui voluntatem suam, sive bona, sive mala sit, æque sequuntur, et ingrediuntur duabus viis, nunc bona, nunc mala sectantes, secundum quod variantur desideria sua. Quibus merito utilius fuerat gratiæ in

omnibus inhærere, et ubi obviat propria voluntas, abscindere et a se ipsis abjicere eam. Est autem cum multo tempore in abscissione propriæ voluntatis nostræ exercitati aliquatenus eam domamus, ut discat jam non superbire, sed magis sine omni scandalo vel contradictione Deo subjecta sit anima nostra; nec jam abjicere necesse sit oculum nostrum, nempe qui simplici adhærens oculo factus est et ipse simplex, aut certe jam non alter est oculus, sed unus cum eo, Apostolo teste: quoniam qui

A adhæret Domino, unus spiritus est cum eo (I Cor. vi. 17). Quod autem de oculo dictum est, de manu quoque et pede eodem modo est intelligendum. Cujus enim voluntas ex affectione et cum desiderio gratiæ cohæret, ut nec concupiscat mala agere, nec bona minora, minus bene, quam gratia suggerit: hic plane perfectus est vir. Sed pax ista potius est felicitatis: abscissio vero scandalorum, et tentationum victoria, fortitudinis; illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

SERMO I.

De lectione evangelica. « Videns Jesus turbas, » etc.
(Matth. v, 1-12.)

1. Festivitatem hodiernam Sanctorum omnium cum omni devotione dignum est celebrari. Nimirum si magna videtur, et est, beati Petri solemnitas, seu beati Stephani, aut cujuslibet cæterorum; quanta ista est, quæ non unius tantum est, sed universorum? Verum non ignoratis, fratres, sæcularibus id moris esse, ut diebus festis festiva sibi convivia parent: et quanto fuerit solemnitas olarior, tanto splendidius epulentur. Quid ergo? nonne et his qui convertuntur ad eor, cordis deliciae sunt quærendæ, et spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea jam paratum est convivium nostrum, fratres, jam cocta sunt omnia, ei epulandi tempus advenit. Dignum est enim ut prius anima satiatur, quod hæc portio sine dubitatione, et sine comparatione sit potior: præsertim cum Sanctorum solemnitates manifestum sit ad animas magis, quam ad corpora pertinere; et quæ animarum sunt, animæ plus acceptent, quippe naturali quadam eis cognatione conjunctæ. Quibus propterea quoque sancti isti compatiuntur amplius, propterea magis desiderant animarum bona, et plus earum refectionibus delectantur, quoniam et ipsi similes nobis fuere passibiles; et ipsi peregrinationis hujus et exilii miserabilis deploravere molestias; et ipsi grave hujus corporis onus, et tumultus sæculi, et tentationes experti sunt inimici. Nihil itaque dubium, quin gratior eis sit et multo acceptabilior illa festivitas, qua intenditur epulis animarum, quam sit ea, quæ celebratur a sæcularibus, curam carnis perficientibus in desideris voluptatum.

2 Verumtamen unde nobis animarum panis in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis? Unde nobis sub sole spiritualis cibus, ubi nihil est nisi labor et dolor et afflictio spiritus? Sed scio quis dixerit: *Petite et accipietis*: et illud: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* (Matth. vii, 7, 11; Luc. xi, 9, 13.) Nec ignoro, quam obnixè tota hac nocte et die petieritis mendicantes dari vobis pacem de cælo vivum; non eum qui corpus roborat, sed qui confirmat cor hominis. Nam convivas quidem non ausim dicere, sed mendici sumus, in præbenda Dei

B viventes. Mendici, inquam, jacentes ante januam regis prædivitis, ulceribus pleni, et cupientes saturari, imo et sustentari de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, quorum celebramus hodie solemnitatem. Nempe deliciis affluunt, et mensuram accipiunt bonam, et confertam, et superfluentem. Confidimus autem quoniam erit qui det nobis: chaos enim magnum et distantia est multa nimis inter liberalitatem et benignitatem Dei, et avari divitis crudelitatem. Propterea dedit hodie Pater noster panem: Patrem enim misericordiarum, patrem esse necesse est etiam miserorum; dedit, inquam, nobis panem de cælo, et cibaria in abundantia: quorum utinam ego fidelis coquus, utinam anima mea coquina utilis videatur!

C 3. Siquidem ad præparanda fercula vestra, tota hac nocte concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exarsit ignis: ille sine dubio quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi (Luc. xii, 49). Nam spiritualem cibum, et coquinam, et ignem habere necesse est spiritualem. Superest jam ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potius dantem Dominum, quam ministrum distribuentem. Ego enim, quantum in me est, nihil aliud sum quam conservus vester, qui vobiscum pariter, et mihi, et vobis, sicut ipse Dominus novit, mendico panem de cælo, et alimoniam vitæ. Propterea non ego do vobis, sed Pater vester ipse est, qui dat vobis panem de cælo vivum; ipse vos pascit, et operibus, et sermonibus, etiam et carne Filii sui, quæ est vere cibus. Nam et de operibus lego: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (Joan. iv, 34); et de verbis, quoniam *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (Deut. viii, 3); Ergo nunc quidem cibari habemus factis ejus et verbis; post hæc etiam illibatum Dominici corporis sacramentum in altaris mensa sacrosancta, ipso propitio, percepturi.

4. Legimus in Evangelio hodie, quoniam *videns turbas Jesus, ascendit in montem*. Prædicantem enim Dominum de civitatibus et castellis populi sequebantur? quorum salvabat animas, sanabat corpora; et adhærebant ei, affatu pariter et aspectu illius delectati: cujus nimirum vox suavis, et facies ejus decora, sicut scriptum est: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (Psal.